

latum, sed difforme regulis rationis. Et illa attingentia, seu tendentia moralis est, quia est ad objectum morale, et regulatum, et est talis tendentia quod ex illa sequitur in actu tendentiæ rectæ privatio: ergo illa ad morale genus spectat, naturalis enim entitas ut naturalis, non causat illam privationem, species autem moralis sumitur secundum D. Thomam ab objecto; ergo per tendentiam ad objectum, non per privationem, licet inde sequatur in actu privatio rectitudinis, id est, privatio attingentiæ debiti finis, quæ privatio non constituit speciem mali moralis, sed consequitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLVIII. Primo arguitur auctoritate ducta ex variis locis Scripturæ, patrum, et D. Thomæ, qui communiter rationem peccati explicant per privationem, et aversionem a bono. Nam in primis Psalm. LXXVII dicitur de populo qui peccavit: *Et averterunt se, et non servaverunt pactum: Zachar. VII: Averterunt scapulas, recedentes: Isai. I: Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, dereliquerunt Deum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum: Jerem. II: Malum, et amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum: et super illud Joan. II: Sine ipso factum est nihil, celebris est Augustini sententia tract. X in Joan. «Manifestum est quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant.» Quam tamen expositionem D. Hieronymus minus probat super capite secundo Michææ ad illa verba: *Fugistis nemine persequente*, quasi expositionem nimis coactam, et contra Scripturæ simplicitatem.*

XLIX. Ex patribus idem probatur,

quia in hoc constituunt peccatum, quod sit privatio boni, seu carentia justitiæ. S. Dionysius cap. IV de divinis nominibus: «Peccatum dicit non esse aliquid existens, aut inexistens, sed privationem boni:» Damascenus lib. II de fide, cap. IV: «Peccatum nihil aliud esse, quam privationem, et absentiam boni, sicut tenebræ sunt orbitas lucis:» Nysseus oratione catechetica, cap. V et VI: «Vitium omne, et improbitas in omni privatione suam habet formam:» S. Augustinus in enchiridio, cap. XI: «Quæcumque sunt vitia naturalium, sunt bonorum privationes:» et lib. II de libero arbitrio, capite ultimo: «Motus ille, inquit, aversionis, quem fatemur esse peccatum, motus defectuosus est.» Et videri etiam potest in libro XI de civitate, cap. XIX, et libro primo contra adversarium legis, et prophetarum, cap. V, et libro de vera religione, cap. IX; Anselmus libro de præscientia, et prædestinatione, cap. I: «Injustam voluntatem dicit esse carentiam rectitudinis, et justitiæ.» Imo peccatum in ista privatione consistere ex professo probat Anselmus in libro de casu diaboli, cap. IX, et de conceptu virginali, cap. V et VI. Videatur de eodem Bernardus serm. VI de adventu; Hieronymus Isai. XVIII, et Amos III; Ambrosius libro de Isaac, cap. VII, et alii patres, quibus frequens usus est peccatum per privationem, et aversionem explicare. Nec dici potest non explicare patres essentiam, et formalem rationem peccati, sed modum ejus intrinsicum, nobis magis notum. Sic enim frustra ex patribus auctoritates adducimus ad explicandas veritates theologicas, quæ istis formalitatibus explicantur.

L. Ex D. Thoma confirmatur idque clarissimis, ut videtur auctoritatibus. Et omittimus eas in quibus loquendo de malo in communi,

docet esse privationem, ut I p. quæst. V, articulo II et III, et in tertio contra gentiles, cap. IX. Ex quibus solum potest sumi argumentum quod si malum in communi consistit formaliter in privatione, et illud postea dividitur in malum culpæ, (quod est morale) et malum pœnæ, oportet quod quodlibet ex membris dividendibus participet eandem rationem mali in communi, quod est malum simpliciter. Cæterum in aliis locis expresse loquitur D. Thomas de malo morali, seu peccato, et docet consistere in privatione, seu defectu, licet ex parte actus voluntarii, qui materialiter, et concretive se habet ad malitiam, ab eaque denominatur peccatum sit aliquid positivum. Nam in primis in hac quæstione XVIII, articulo primo dicit: «Quod actus humanus est malus in quantum ei deficit aliquid de plenitudine essendi.» Et infra quæst. LXXI, articulo sexto inquit: «Quod peccatum nihil est aliud, quam actus humanus malus. Et quod sit humanus habet ex hoc quod voluntarius, quod autem sit malus, ex hoc quod caret debita commensuratione:» et infra: «Quod pertinet ad rationem mali est quasi formale in peccato.» In quibus locis ly formale, ly in quantum, ly ex eo quod, manifeste indicant D. Thomam loqui de eo quod formale constitutivum est in peccato: et infra, quæst. LXXV, articulo primo. «Peccatum, inquit, est actus inordinatus. Ex parte igitur actus potest habere causam, sicut et quilibet alius actus; ex parte autem inordinationis potest habere causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest causam habere:» et quæst. LXXXV, articulo IV dicit: «Esse quoddam bonum, quod est inordinatio actus, et hujus privatio est essentialiter peccatum.» Qui locus manifestissimus est.

LI. Item in secunda secundæ

quæst. XX, articulo primo ad primum inquit: «Quod peccata quæ opponuntur virtutibus theologis principaliter consistunt in aversione, ex consequenti autem important conversionem ad bonum commutabile:» et quæst. CXVIII, articulo V inquit: «Quod omne peccatum ex eo ipso, quod est malum consistit in quadam corruptione, et privatione boni:» et infra: «Quia tamen corruptio, et privatio boni formaliter se habet in peccato, etc.» Denique quod D. Thomas intellexerit aversionem, seu privationem boni in peccato esse formale per modum constituentis ipsam speciem, videtur clare colligi ex tertia parte, quæst. LXXXVI, articulo IV ad primum, ubi inquit: «Quod culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo, et conversionem ad bonum creatum: sed sicut in secunda parte habitum est, aversio a Deo est sicut formale, conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cujuscumque rei, tollitur species, sicut remoto rationali tollitur species humana; et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis ad Deum, simul cum reatu pœnæ æternæ.» Non ergo potest explicari D. Thomas de formali completivo, vel modificativo, quia loquitur de formali, quod se habet sicut rationale in specie humana, quia illo remoto solvitur species rei. Cum ergo in his locis D. Thomas expresse loquatur, in aliis autem, quæ nos adduximus, solum per discursum mens ejus colligatur, magis standum est istis locis, quam aliis: præsertim cum illa possint facile explicari de peccato pro fundamento, seu concreto ex parte actus, non formaliter, et in ratione malitiæ.

LII. Respondetur loca Scripturæ allata potius explicare effectum peccati, quam ejus formalem rationem.

Et Scriptura aliquando explicat effectum privativum peccati, quia hoc pertinet ad exaggerationem ipsius malitiæ, et explicationem abominationis ejus, aliquando explicat etiam ipsum ordinem positivum erga objectum ad quod homo convertitur, quod etiam pertinet ad malum morale, et ad ejus specificationem. Unde cum utrumque inveniamus in Scriptura, et id quod positivum, seu conversivum est, et id quod aversivum, seu privativum, relinquatur puræ disputationi theologicæ, quodnam horum sit constitutivum formale speciei moralis, quæ dicitur malum, et peccatum, nam Scriptura id non explicat.

LIII. Quod autem etiam Scriptura per modum positivum nominet peccatum constat; tum, ex illo Hieremias secundo, ubi aperte distinguitur duplex malum in peccato, ex parte scilicet aversionis, et conversionis, et utrumque malum vocatur, nec aliud quam morale, quia malum naturæ nihil conducebat ad præsens, ubi Deus conqueritur de illo malo etiam conversivo, cum dicit: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et federunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas;* ubi illa conversio ad cisternas illas, etiam est materia querimonias divinæ, non autem conqueritur Deus, neque reprobat malum, quod pure est malum naturæ; ergo malum morale. Similiter cum dicit Osee ix: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt,* manifeste abominationem hanc explicat per positivum, scilicet per ordinem, et tendentiam dilectionis ad objectum abominabile; diligere enim tendentia positiva est. Si autem tendentia positiva dilectionis reddit hominem abominabilem; ergo malum morale (illud solum est abominatio) non in sola privatione ponitur in Scriptura, sed aliquid po-

sitivum præsupponitur. Stat ergo fixa, et fundata explicatio nostra, quod quando loquitur Scriptura de privativo, et aversivo peccati, loquitur de eo quod se habet ut effectus, et ut consecutum in peccato.

LIV. Quod si dicas: Si Scriptura utrumque dicit, et memorat, tam privativum peccati quam conversivum, seu positivum, cur nos potius volumus constitutivum peccati esse positivum, quam privativum.

LV. Respondetur nos facere vim in verbis Scripturæ, nec enim intendimus nostram sententiam facere de fide, neque hanc quæstionem intelligimus esse dogmaticam, sed metaphysicam: solum autem volumus ostendere oppositam sententiam non posse juvari, nec fundari in ipsa Scriptura, sed recte responderi, quod non loquitur expresse, et formaliter de constitutivo peccati, quando illud explicat per aversionem, aut privationem, sed explicare peccatum per suum effectum nobis magis notioem, et magis explicativum abominationis peccati: nec explicare totum quod est in peccato, sed aliquid illius, nempe privativum, non tamen negare positivum, quod alibi explicat. Nam etiam malum morale explicat per positivum, et certum est hanc privationem consequi ad illam conversionem. Quod si res deducatur extra verba Scripturæ ad terminos, et consequentias pure theologicas, sic dicimus potius Scripturam nobis favere formando hunc syllogismum theologicum: In peccato (ut constat ex locis allegatis, datur positiva conversio, seu dilectio ad objectum malum et abominabile, quæ facit ipsum actum malum, et abominandum (quod est malum morale) sed natura, et essentia actus est quod accipiat speciem ab objecto, aut quidquid in objecto est mediante ordine, seu respectu, aut tendentia in ipsum tam-

quam ratione formali, non mediante privatione, quæ est ad formam oppositam, non ad objectum, nec mediante relatione dissonantiæ, quæ est ad subjectum, seu naturam rationalem, et ejus legem; sed ille ordo positivus se habet antecederet ad istam privationem, et relationem: ergo formale constitutivum, seu specificativum illius mali moralis est illa tendentia, non illa privatio.

LVI. Ad patres simili modo respondetur, quod aliquando loquuntur de privatione peccati physice sumpta, et formaliter, et tunc explicant peccatum per effectum, seu connotationem magis nobis notioem, eo quod peccatum est sicut motus animi, qui recedit ab uno, et accedit ad aliud. Magis autem relucet ipsa ratio mali, et defectus in recessu termini a quo, seu privatione finis debiti, quam in accessu ad terminum ad quem, et illa privatio sic physice sumpta est malum simpliciter, consistitque in privatione boni. Et sic patres, ut explicent contra Manichæum, et alios hæreticos, quod malum non est substantia aliqua, aut aliquid positivum, quod sit ab alio summo principio quam a Deo, dicunt peccatum in ratione mali (scilicet mali simpliciter, seu physice) esse privationem, et nihil. Unde Augustinus libro primo contra Julianum, cap. ix: « Non resistimus, inquit, Manichæis, nisi obtineamus non esse mala orta nisi ex bonis, nec ea mala esse substantias, sed substantiarum vitia creaturarum. » Sic ergo quando explicant in peccato id quod habet rationem mali simpliciter, et physice, recte id explicant sancti per privationem, sed tunc solum explicant peccatum non quasi a priori, et per suam formalem rationem constitutivam, sed per effectum, seu per id quod est consecutum in peccato. Nec propte-

rea sumimus sententias, et verba patrum improprie, sed in toto rigore, quia revera ita est, quod malum simpliciter in peccato privatio est, et non explicatur improprie res aliqua per id quod est consecutum, aut connotatio propria, et intrinsece requisita: sicut cum patres, et Scriptura explicant fidem per obscuritatem, et ænigmaticam rationem, non improprie, sed vere illam explicant, licet non formalem rationem explicent, sed connotatam.

LVII. Aliquando autem patres explicando peccatum per privationem loquuntur de privatione morali, quæ non dicit puram privationem, ut toties advertit D. Thomas, sed privationem contrariam, hoc enim ipso, quod dicitur moralis, importatur privatio in quantum orta ex tendentia ad objectum pravum, et licet non explicent ipsam tendentiam, ibi tamen necessario intelligitur, quia aliter privatio illa, nec moralis est, nec contraria virtuti. Sic ergo uno verbo dicimus ad illas auctoritates, quæ loquuntur de privatione boni, et carentia justitiæ in peccato, quod intelligendo id de privatione morali, et contraria, explicant sancti in illis verbis formale constitutivum peccati; sed talis privatio non est mera, et pura carentia formæ, sed involvit positivam contrarietatem, quæ moralem reddit illam privationem, quatenus importat tendentiam, et ordinem ad objectum pravum. Intelligendo autem eas de privatione simpliciter, et physice, non loquuntur de formali constitutivo peccati, sed de connotato, et consecuto ut peccatum sit.

LVIII. Quod autem patres etiam agnoscant istum moralem ordinem, et tendentiam ad objectum pravum, seu finem indebitum, et ab illo dicatur aliquid laudabile, vel vituperabile, constat ex Augustino libro de moribus Manichæorum, cap. v,

ubi inquit: « Quod secundum quod finis est laudabilis, aut vituperabilis, secundum hoc opera nostra culpabilia, aut laudabilia sunt. » Non possunt autem habere opera nostra hanc culpabilitatem ex fine, mediante privatione ad illum, sed mediante habitudine, et tendentia ad ipsum, quæ intrinseca est actui. In libro autem de perfectione justitiæ in principio, non ratione privationis, sed ratione qualitatis deformitatem vitii, et peccati explicat, ut patet in illis verbis: « Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, utrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem, qua deformis actus consistit. » Si ergo sancti patres aliquando vitium, et peccatum per positivam, et moralem deformitatem explicant, quæ contrarietatem dicit, et per ordinem ad finem culpabilem, non est contra ipso explicare privationem, quam aliquando attribuunt peccato, de privatione contraria morali, aut de privatione consecuta, sed quia communiter patres non ita metaphysice formale constitutum rei tractant, locum dant, ut ex variis eorum locis collatis investigemus eorum mentem, et explicemus ea, quæ in uno loco dicuntur ex aliis, et quomodo aliquando loquantur de eo, quod est consecutum, non quod constitutum, aliquando loquentes de constitutivo intelligendi sint de privatione, non utcumque, sed contraria et morali, quæ est positiva fundans privationem.

LIX. Ad auctoritates D. Thomæ quantum ad eas, quæ loquuntur de malo simpliciter, dicimus malum simpliciter non esse commune ad malum morale, et malum physicum per modum generis, et gradus superioris, quia expresse D. Thomas in illa quæstione XLVIII, 1 p. art. 1 ad secundum exceipit malum morale quantum ad suum constitutum

formale a ratione privationis, quæ est malum simpliciter, dicens: « Quod constitutiva differentia in moralibus non est privatio, sed aliquod bonum adjunctum privationi. » Aliquid tamen est in malo morali, seu in peccato quod participat rationem mali simpliciter, scilicet ipsa privatio consecuta in actu ex illa conversione morali, non ipsum constitutum formale peccati, seu speciei mali moralis. Cum autem dividitur malum in malum culpæ, et pœnæ non est divisio mali simpliciter in tota sua latitudine, sed mali prout inventi in rebus voluntariis, ut expresse dicit S. Thomas citato loco quæst. XLVIII, art. v ad secundum, culpa enim est malum voluntarium elicitive, seu active, pœna autem est involuntarium malum in quantum punit illud voluntarium culpæ. Et sic malum culpæ non habet pro diviso malum simpliciter, quod est pura privatio, sed malum prout in rebus voluntariis inventum, seu prout commune voluntario, et in voluntario, et ad hoc genus voluntarii restrictum, et sic est malum commune actioni, et passioni in isto genere: nec est inconueniens, quod tale malum ut restringitur, et contrahitur ad malum actionis in culpa, habeat pro constitutivo ordinem positivum ad pravum objectum cum consecutione privationis rectitudinis; malum vero passionis, seu pœnæ sit vel ablatio formæ convenientis, vel illatio disconuenientis, et dolorosæ, sicque malum quod est divisum non sit genus, sed analogum ad actionem, et passionem, ad positivum, vel privativum.

LX. Ad alia loca specialia D. Thomæ quæ loquuntur de malo morali specialiter. Ad primum ex ista, quæstione XVIII, articulo primo quod actus humanus est malus quando ei deficit de plenitudine essendi, dicimus hoc verissimum esse; sed de-

ficientia ista est duplex, alia moralis et contraria, alia privativa et physica, et hæc sequitur ex priori. Contraria deficientia est per ordinem ad objectum pravum, seu finem indebitum, quæ contrariatur ordini, seu tendentiæ ad finem debitum, et objectum regulatum: ex quo sequitur privari actum tendentia illa debita ad plenum, et perfectum objectum. Loquendo ergo de deficientia morali, dicitur quod actio est mala in quantum deficit ei aliquid de plenitudine essendi, deficientia contraria per se, et constitutive, deficientia autem privativa, consecutive. Loquendo autem de deficientia physica, et in ratione mali simpliciter, est malum, quia deficit privative aliquid de plenitudine essendi, sed hoc non formaliter constituit malum ut morale, sed consequitur.

LXI. Ad locum ex quæstione LXXI, artic. VI respondetur cum eadem distinctione, quod loquendo de peccato in genere mali moralis dicitur esse malum ex eo, quod caret debita commensuratione, scilicet carentia contraria constitutive, et carentia privativa consecutive. Si autem loquamur de malo simpliciter, actus est malus, quia caret debita commensuratione carentia privativa, quia malum simpliciter, privatio est. Cum autem subdit D. Thomas, quod id quod pertinet ad rationem mali est quasi formale in peccato, intelligitur de eo quod est malum contrarie, hoc enim est formale constitutum; privatio autem est formale consecutivum. Dicit autem D. Thomas: « Quod hoc formale explicatur in definitione peccati, dicendo quod est contra legem æternam. » Ubi ly contra videtur contrarietatem significare, non solam privationem. In aliis autem locis explicavit D. Thomas, quod hoc constitutum speciei malæ moralis est positivus ordo ad finem indebitum,

et quod deformitas peccati est dispositio contraria. Unde ex his locis sumimus explicationem pro istis in quibus dicit carentiam debitæ commensurationis esse formale peccati, quod debeat intelligi de carentia contraria, quæ infert privativam.

LXII. Et est notandum, quod D. Thomas in peccato utrumque appellat, et dicit esse formale, scilicet tam positivum seu conversivum, quam aversivum, seu ipsa ratio mali. Et ita necesse est, quoties invenimus apud D. Thomam formale peccati esse malum, sed privationem, etc. ut id accommodemus juxta utrumque formale, tam conversivum seu contrarium, quam aversivum seu privativum, ita quod unum sit formale constitutum, aliud formale consecutum: sicut in fide, et dicitur ratio formalis fidei testificatio dicentis, et etiam obscuritas dicitur formale in fide, illud ut constituens, hoc ut consequens. Quod vero utrumque D. Thomas appellet formale, constat ex his quæ docet 2-2, quæst. X, artic. V ad primum, ubi inquit: « Quod formalis ratio alicujus peccati potest accipi dupliciter. Uno modo secundum intentionem peccantis, et secundum hoc id ad quod convertitur peccans est formale objectum peccati, et ex hoc diversificantur ejus species. Alio modo secundum rationem mali, et sic illud bonum a quo receditur est formale objectum peccati, sed ex hac parte peccatum non habet speciem, imo est privatio speciei. » Ubi sanctus doctor utrumque vocat formale in peccato. Et cum illud primum formale sit positivum ex quo sumitur species peccatorum, et illa species non possit esse nisi moralis, quia peccati species est. Ex hoc autem secundo dicat non sumi speciem, sed tolli, plane loquitur de formali consecutivo, et pertinente ad rationem mali simpliciter, quia hoc est